



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Illvstrissimi Viri Petri De Marca Archiepiscopi Parisiensis Dissertationvm De Concordia Sacerdotii Et Imperii, Sev De Libertatibvs Ecclesiæ Gallicanæ, Libri Octo

Marca, Pierre de

Parisiis, 1669

- II. Generalia tantùm in initio mandata fuerunt, ut causæ omnes Illyricianæ, eæ nimirum quæ secundùm morem referri debebant ad Romanum Pontificem, ad curam pertinerent Thessalonicensis antistitis. ...

urn:nbn:de:hbz:466:1-15617

Episcopo delegavit vices apostolicae sedis, Anyfio nimirum, qui paulò ante Siricij episcopatum successerat Acholio. Non extat epistola ejus ad Anyfium ea de rescripta, & ad eum missa per Candidianum Episcopum. Extat autem alia ejus epistola post obitum Candidiani scripta, ex qua colligimus statum à Siricio fuisse ut nulla licentia esset sine Anyfij consensu in Illyrico Episcopos ordinare. Siricio successit Anastasius, isti verò Innocentius, qui vicariam suam potestatem eidem Anyfio commiserunt per Illyricianas provincias, exemplo decessorum suorum. Præstat porrò referre verba Innocentij ad Anyfium, ex quibus intelligemus quanam fuerit illa potestas, & quantum Thessalonicensi Episcopo detulerint Romani Pontifices illorum temporum. *Cui etiam, inquit, id est, Anyfio, anteriores tanti ac tales viri predecessores mei Episcopi, id est, sanctæ memoriae Damasus, Siricius, atque supra memoratus vir, id est, Anastasius, ita detulerunt, ut omnia quæ in illis partibus gererentur sanctitati tuæ, quæ plena iustitiæ est, traderent cognoscenda, meam quoque parvitatem hoc tenere iudicium eandemque habere voluntatem te decet recognoscere.*

Apud Holsten.
pag. 46.

II. Generalia sunt ista mandata, sed quæ tamen indicant magnam à sede apostolica potestatem conlatam Anyfio fuisse, nimirum ut omnia quæ in provinciis Illyricianis gererentur, ad notitiam & iudicium Thessalonicensis antistitis perferrentur, ut sententia & auctoritate ejus componerentur. Quod non intelligi ita debet ac si tum primùm causæ omnes Illyricianæ ad curam Thessalonicensis Episcopi pertinere cœpissent cùm ornatus est vicariatu sedis apostolicæ. Constat enim ex eisdem Innocentij epistola ad Rufum ea tantum delegatione effectum ut causæ quæ secundum morem referri debebant ad Romanum Pontificem, velut ad Patriarcham Occidentis, ad curam pertinerent Thessalonicensis antistitis; ut qui primus erat inter primates Illyricos, id est, primus provinciarum illarum Metropolitanus, etiam ut sedis apostolicæ delegatus causas quæ inciderent in Illyrico terminaret. Nondum enim positi fuerant termini vicariæ huic potestati, sed omnes omnino causæ illarum provinciarum commissæ fuerant Episcopis Ecclesiæ Thessalonicensis.

Apud Holsten.
pag. 49.

III. Successerat Rufus Anyfio, viro de sede apostolica bene merito, & qui post acceptum ejus vicariatum plurimis beneficiis sibi devinxerat Romanos Pontifices, ut Leo primus testatur. Hujus ergo successoris vices suas delegans Innocentius, his ad eum verbis utitur: *Drivinitus ergo hæc procurrens gratia ita longis intervallis determinatis à me Ecclesiis dis-*

Apud Holsten.
pag. 48.

*cat consulendum, ut prudentiæ gravitati que tue committendam curam causâque si qua exoriantur per Achaia, Thessalia, Epiri veteris, Epiri novæ, & Creta, Dacia mediterraneæ, Dacia ripensis, Mæsie, Dardania, & Prevali Ecclesias Christo Domino annuente censeam. Verè enim ejus sacratissimis monitis lectissima sinceritatis tuæ providentiæ ac virtuti hanc injungimus sollicitudinem; non primitus hæc ita statuentes, sed præcessores nostros apostolicos imitati, qui beatissimis Acholio & Anyfio injungi pro eorum meritis ista voluerunt. Tum addit paulò post: *Arripe igitur, dilectissime frater, nostra vice per rescriptas Ecclesias, salvo earum primatu, curam; & inter ipsos primates primus, quicquid eos ad nos necesse fuerit mittere, non sine tuo postulant arbitratu. Ita enim aut per tuam experientiam quicquid illud est finietur, aut tuo consilio ad nos usque perveniendum esse mandamus.**

IV. Quoniam verò ea interdum incidere negotia poterant quæ congregationem sacerdotum requirerent, hanc quoque Rufo potestatem facit, ut quotiens eæ occasiones emerferint, synodos etiam extraordinarias celebret ex provinciis Illyricianis. *Licitum autem, inquit, & apostolicæ sedis favore permisum tuæ fraternitati cognosce ut cùm aliqua ecclesiastica ratio vel in tua vel in memoratis provinciis agitata cognoscendâque fuerit, quos velis Episcoporum socios quibuscunque de Ecclesiis assumes tecum, quorum & fide & moderatione quicquid necessitas causæve flagitaverit, optimus dirigas arbiter, & præcipuus, quippe à nobis lectus, definitis intercessor. Hunc eundem ordinem secuti sunt Romani Pontifices sequentibus seculis, ut suo loco dicemus.*

V. Verùm quia privilegia Thessalonicensis Ecclesiæ tributa nullius utilitatis futura erant, donec provinciis innotuissent, Innocentius, ad exemplum Principum Romanorum, qui leges & edicta mittebant per provincias ut Præsidi ministerio publicarentur, literas de legatione Rufi conscribi iussit ac mitti ad universos Episcopos per provincias Illyricianas constitutos unâ cum suis & superiorum Pontificum epistolis ex archivo Romano descriptis. Ita enim intelligenda puto sequentia hæc Innocentij verba: *Omne sanè instructionem chartarum in causa archiepiscoporum cum Presbytero Senecione, viro admodum maturo, fieri iussimus. Itaque & ex prioris nostræ epistola & ex his chartulis bene recensens quid agere debeas recognosce. Nam voluntatem hanc nostram per unamquamque provinciam satis, ut decebat, literis manifestavimus. Data est hæc ultima Innocentij epistola xv. Kal. Iulij, Honorio IX. & Theodosio V. Augg. Consulibus, id est, anno quadringentesimo duodecimo, cùm undecim annum in pontificatu*